

Q. D. B. V.
DISPUTATIO MORALIS

34

DE
CONSCIENTIA
PRACTICA

ET
EJUS OBLIGATIONE,

Quam

IN ACADEMIA JENENSI

Consensu Amplissima Facultatis Philosophicae

PRÆSIDE

M. JOH. PAULO HEBENSTREITO

publicæ ventilationi exponet

ERNESTUS REYHERUS, Gothanus

AUTOR

Ad diem Novembr. M. D. C. LXXXIII.

JENÆ.
Literis MÜLLERIANIS.

VIRIS

*Nobilissimis, Excellentissimis, Experientissimo, Consultissimis,
Amplissimis, Prudentissimis, Spectatissimis,
& Integerrimis,*

Civitatis Gothanae
CONSULIBUS & SENATORIBUS,

DN. JACOBO WEITZIO, Medicinæ
Doctori Famigeratissimo,
DN. HEINR. BERGMANNO,
Consulibus meritissimis,
DN. GOTHOFREDO MOCKIO,
J. U. Candidato & felicissimo

Advocato,

Dn. Johanni Schmidio,
Dn. Joh. Esaiæ Thilo,
Dn. Josepho Sandern,
Dn. Salomoni Reyhero,
Dn. Joh. Ernesto Freundo,
Dn. Joh. Philippo Danzio,
Dn. Friderico John,
Dn. Joh. Georgio Breitheuptio,
Dn. Heinricho Siegmundo Mendio,

DN. FRIDERICO HOSFELDIO,
J. U. Doctori Celeberrimo,


DN. JOH. CHRISTOPHORO
BROTKORBIO, J. U. Candid.
Consulibus gravissimis,

DN. JOH. LORENTZ SORGE,
J. U. L.

Dn. Joh. Melchiori Schmidio,
Dn. Danieli Hoffmanno,
Dn. Ægidio Funckio,
Dn. Joh. Cæsar,
Dn. Christiano Wallich,
Dn. Joh. Georgio Sorge,
Dn. Friderico Botschuch,
Dn. Danieli Tresseln,
Dn. Casparo Christ. Wexio,
Dn. Joh. Christ. Freundo,

*D N N. Patronis, Nutritoribus, Fautoribus,
Affini, Fratri, atque Cognatis Specimen hoc Academi-
cum devoti, grati & obstricti animi contestandi ergo
cum calidissimo omnigena prosperitatis voto
offere*

Ernestus Reyherus.



Equar in Disputationis meæ li-
mine morem eorum, qui in primor-
dio statim argumenti, quod evolvunt,
utilitatem magnoperè deprædicant.
Tanta enim utilitas est hujus, quam
tractare constitui, materiæ, ut in ipsam
quoque Theologiam se diffundat.
Certè universa Theologia, ut vocant, *Casualis* feliciter
satis & accuratè doceri discique nequit, nisi animi tum
docentium tum discendum hâc doctrinâ probè sint im-
buti. Illa enim in nullâ aliâ re occupata est quàm in tra-
dendis atque decidendis *casibus practicis*, qui etiam casu-
um conscientiæ (practicæ sc.) nomine veniunt. Quis
ergò Theologiam Casualem satis accuratè tradet & per-
cipiet, nisi perspectam teneat naturam conscientiæ pra-
cticæ, partitiones ejus, & vim obligationis ex eâdem sub-
nascentis? Extra Theologiæ pomoeria eousque se ex-
tendit hujus doctrinæ usus, ut ferè terminos doctrinæ
moralis æquet. Ut enim actio singularis sit honesta ac
justa, requiritur, ut non tantum in se licita sit & justa, sed
ut adsit conscientia practica, h. e. ut fiat ideò, quod in-
tellectus practicus eam exercendam dicitaverit.

CAP. I.
De Conscientiæ Practicæ naturâ,
& ejus Distinctionibus.

Conscientia Practica propriissime & strictè dicta est dictamen intellectus practicum de actionibus committendis aut omittendis, quatenus considerantur in individuo seu singulari.

§. II. Dico (1.) : *Dictamen intellectus*. Per dictamen intellectus significatur iudicium intellectus h. e. compositio aut divisio : E. g. dictamen intellectus est actus ille, quo intellectus iudicat honestum esse eligendum, & τὸ eligendum componit cum honesto. Pariter dictamen intellectus est v. g. actus ille, quò intellectus iudicat, turpe non esse eligendum, & τὸ eligendum dividit à turpi. Quando conscientiam practicam definimus per dictamen seu iudicium adeoque conscientiam practicam censemus esse actum, sequimur *Thomam Aquinatem*, magnam familiam in Scholis Moralistarum ducentem, qui p. 1. qu. 79. 13. conscientiam in communi statuit esse actum. Quanquam enim alii, inter quos est *Sanderson tract. de Oblig. Consc. prael. 1. §. 14.* hanc sententiam rejiciant, & cum *Scoto, Durando*, & aliis nonnullis è subtilioribus *Scholasticis* conscientiam tum practicam tum theoreticam habitum esse censeant, nos tamen, quia in argumentis illis, quæ contra nostram assertionem producant, nihil roboris animadvertimus, sententiam receptam *Thomæ* & excellentissimorum *JCtorum Dn. Struvii Syntagm. Jur. Civ. Exerc. II. §. XIII. & Dn. Schilteri in manuduct. Philos. Mor. ad Jurisprud. Cap. 7. §. 6.* in præsentiarum tuemur, ad rationes *Sandersoni* & aliorum in ipso conflictu, si occasio data fuerit, responsuri. Porro cum conscientiam practicam definimus per dictamen intellectus practicum, sedem ejus statuimus in intellectu, non quidem speculativo, qui speculatur verum quatenus verum, & in eo acquiescit præcisè sine aliquo ordine ac respectu ad praxin, sed practico, qui tendit ad praxin. Quod conscientiaæ practicae subjectum sit intellectus, facile patet. Primò enim conscientia est quædam scientia, at omnis scientia est in intellectu. Secundò conscientia practica est erroris capax, at error est morbus intellectivaæ facultatis. Agitur aliàs & hæc con-

controversia inter *Scholasticos*, pertineatne conscientia practica ad intellectum, an ad voluntatem, an ad utramque. Nolo jam eorum, qui nobis adversantur, argumenta excutere, ne spinosis subtilitatibus immorer, chartam magis necessariis subtractam.

§. III. Dico (2.) : *Dictamen practicum*. Judicium autem intellectus practicum est actus, quo intellectus judicat, utrum hoc vel illud, si spectatur ut nondum commissum vel omissum, sit committendum aut omittendum, & utrum hoc vel illud, si commissum est aut omissum, recte commissum vel omissum fuerit. Illud vero intellectus judicium, quod est de actionibus commissis aut omissis, à quibusdam dicitur judicium intellectus Theoreticum, quanquam in tantum adhuc appellationem judicii practici sustinet, in quantum concernit praxin & circa actus licitos & illicitos occupatum est, indeque à nonnullis vocatur judicium speculativè practicum : dicitur *practicum*, quia respicit praxin, vocatur autem *speculativè practicum*, quia non præscribit, quid agendum sit, quid omittendum. Videatur magni nominis Theologus *D. Georgius Calixtus in epitome Theol. Moral. p. 19.*

§. IV. Dico (3.) *De actionibus committendis aut omittendis*, h. e. est actus, quò intellectus dicit ac judicat, aliquid, quod nondum commissum aut omissum est, esse faciendum vel omittendum, e. g. promissum esse servandum; ebrietatem & scortationem esse vitandam. Nam Judicium intellectus practicum de actionibus commissis aut omissis, seu actus practicus, quò intellectus judicat, actionem, quæ jam intermissa est, recte aut male fuisse omissam, vel actionem, quæ jam commissa est, recte aut male fuisse susceptam, distinctionis causa appellatur conscientia theoretica : quæ per judicium quoque theoreticum, uti monuimus, definitur, e. g. actus ille, quo Judas proditor judicabat, se male egisse, quod innocentem sanguinem prodidisset, it: actus, quo David judicabat, se obignominiosam legatorum suorum violationem Regem Ammonitarum recte bello petiisse, non erat conscientia practica sed theoretica. Conscientia theore-

tica, quia actiones hominum consequitur, & est iudicium, velut reflexum intellectus super omissis aut commissis, approbans bene, damnans secus facta, vocatur etiam *Conscientia consequens*; conscientiam autem practicam, quia facta antecedit, vulgò appellant *Conscientiam antecedentem*.

§. V. Dico (4.) *quatenus considerantur in individuo*. Actiones enim committendæ aut omittendæ bifariam possunt considerari, (1.) in specie & in universali, (2.) in individuo & singulari. Jam conscientia practica non est iudicium intellectus practicum de actionibus committendis aut omittendis, quatenus considerantur in universali, sed est dictamen de actionibus committendis aut intermittendis, quatenus spectantur in singulari. E. g. actus, quò quis in communi iudicat, egeno subveniendum esse, non est conscientia practica, sed jus naturæ; actus verò, quò quis iudicat, huic egeno hîc & nunc opem ferendam esse, accuratè loquendo est conscientia practica. Bene ait Doctissimus Theologus D. Georgius Calixtus epit. Theol. Mor. p. 18. *Intellectus proprium est iudicium sive dictamen practicum actiones humanas respiciens. Hoc conscientiam solemus appellare, que homini proponit & prescribit, quid hîc & nunc, in hoc vel illo casu facere debeat aut non facere.* Atque ideò conscientia practica, quia est dictamen intellectus practicum de actionibus in singulari spectatis, appellatur à quibusdam dictamen proximè practicum sive practice practicum. Videatur laudatus Calixtus l. c. p. 19. it. p. 26. Est autem dictamen intellectus proximè practicum, sive practice practicum, quod immediatè & proximè, quid hoc loco & hoc tempore agendum sit vel omittendum, determinat; e. g. huic egeno hîc & nunc opem ferre oportet. Dictamini intellectus proximè practico opponitur dictamen intellectus remotè, sive, ut nonnulli loqui amant, theoreticè practicum, quod iterum est duplex, vel de jure vel de re. Illud actionem in universali, non autem in singulari suscipiendam aut intermittendam prescribit, v. g. egeno est subveniendum: Hæc nec in universali nec in singulari quid agendum, aut omittendum

❁ (7.) ❁

dum fit, determinat, sed est de aliâ quadam re suo certò modo ad actionem pertinente, v. g. quando quis judicat h. m. hæc sunt mea, bona legitime parta.

§. VI. Conscientia autem per hoc, quod est de actionibus singularibus committendis aut omittendis, distinguitur à jure naturæ; Nam jus naturæ est dictamen intellectus practicum de actionibus committendis aut omittendis, quatenus in universali considerantur, atque hinc à *Maximè reverendo Dn. D. Valentino Belthem / Theologo & Philosopho acutissimo, Patrono meo summè observando Tab. II. Mor.* accuratè definitur per dictamen rectæ rationis practicum *in materia universali* de eo, quod intrinsecâ ratione morale est. Et quia conscientia practica non est jus naturæ nec actionem in universali dicitat, sed est dictamen, quod principio universali seu jure naturali ad singulares actionum circumstantias applicato suffultû quid hîc & nunc agere aut non agere conveniat homini præscribit, quidam statuunt, eam non tam esse regulam, quàm regulæ usum. Vid. *Maximè rev. Dn. D. Belthem's Introd. in Lib. I. Cap. I. Grot. de Jure belli & pac. pag. 107.*

§. VII. Conscientia practica, prout à nobis definita fuit, vocatur à quibusdam Moralistis conclusio Syllogismi practici, cujus major exprimit jus, minor autem arguit notitiam circumstantiarum, quibus actio singularis committenda aut omittenda, de quâ formatur conscientia, restringitur, &, ut ita loqui liceat, individuatur. E.g. *judicium intellectus practicum, quod dicitat, huic egeno hîc & nunc eleemosynam esse subministrandam, est conscientia practica, & conclusio hujus syllogismi practici: Egenus eleemosyna est subministranda, Hic est egenus, E. huic eleemosyna est subministranda; in quo Syllogismo major exprimit legem naturæ, minor verò arguit notitiam circumstantiæ essentialis. Conf. Robertus Sanderfon Professor Regius in Academia Oxoniensi tract. de Obligatione Conscientiæ prælect. I. §. 12. p. 15.*

§. VIII. Hoc, quod *Moralistæ* conscientiam practicam appellant conclusionem syllogismi practici, cum vi vocis prorsus convenit, eandemque aptè exprimit. Cùm enim in compositione particuliæ *cum* ea sit virtus, ut quandam associationem alicujus
ad

ad aliud designet, certum illud est, vocem conscientiae practicae praeter nudam scientiae notionem dicere etiam ordinem quendam & respectum istius scientiae ad aliam & alius scientiam, cui adjungitur, & conscientiam practicam vivocis esse quasi scientiam alii scientiae conjunctam: Nam conscientia practica est scientia actionis in singulari committendae aut omittendae respectum habens ad scientiam universalem seu juris, & ad scientiam facti, seu circumstantiarum, quibus actio restringitur, ex qua duplici scientia illa actionis in singulari committendae aut omittendae scientia emergit. E. g. scientia, qua quis novit, huic egeno hic & nunc opem esse ferendam, est conscientia practica, & enascitur tum ex illa scientia universali seu juris, qua quis novit, egeno succurrendum, esse, tum ex scientia facti, qua quis novit, hunc in individuo esse egenum. Nam intellectus practicus a duplici illo cognitionis actu ad hunc, quod judicat, huic egeno opem ferendam esse, discurret hoc modo: Egenus est subveniendum, atqui hic est egenus, Ergo huic est subveniendum. Quando ergo conscientia practica appellatur conclusio, vis vocis scite exprimitur. Conclusio enim in intellectu practico elicita, est cognitio ac scientia, quae importat respectum ac ordinem ad aliam cognitionem ac scientiam nempe praemissarum, ex qua illa elicitor ac derivatur. Vid. *Sanderfon* l. c. prael. prim. §. 4. & 6.

§. IX. Conscientia practica hucusque explicata (i.) solet distingvi in rectam & erroneam. Conscientia practica recta est iudicium rectae rationis qua talis de actionibus committendis aut omittendis in singulari spectatis. Recta ratio autem est intellectus, qui judicat de rebus naturaliter cognoscibilibus, uti sunt. Iudicium igitur rectae rationis practicum de actionibus committendis aut omittendis est, cum intellectus judicat, eas actiones, quae vel vi naturae suae vel vi legis praecipientis sunt committendae, esse suscipiendas, & actiones, quae vel vi naturae suae vel vi legis interdicens sunt omittendae, esse intermittendas. Conscientia autem practica erro-

erronea est iudicium corruptæ rationis practicum de actionibus committendis aut omittendis in singulari spectatis. Dicitur (1.) *iudicium corruptæ rationis practicum de actionibus committendis aut omittendis* : Per corruptam rationem h. l. intelligitur ea, quæ aliter iudicat de re, atque in se est. *Iudicium igitur corruptæ rationis practicum de actionibus committendis aut omittendis* est, cum intellectus iudicat, committendam esse actionem, quæ tamen iure naturali vel positivô, quô homo iudicans obstringitur, est interdicta, aut quando existimat, intermittendam esse actionem, quæ tamen iure naturali vel positivo est præcepta, aut cum statuit, id vi legis naturalis vel positivæ faciendum aut omittendum esse, quod tamen lege naturali vel positivâ nec est præceptum nec prohibitum, sed est merè indifferens. Dicitur (2.) de actionibus committendis aut omittendis *in singulari spectatis* : quibus verbis innuitur, quod sicut quævis conscientia practica strictè dicta, ita & conscientia practica erronea non nisi circa actiones singulares occupata sit. E. g. conscientia errans est, cum quis existimat, huic graviter decumbenti hîc & nunc subtrahendum esse pulvinar, ut citius moriatur. Conscientia autem practica erronea per hoc, quod nonnisi circa actiones singulares versatur, distinguitur ab errore morali, qui non tantum circa actiones singulares sed & universales committitur: verbi gratia actus, quô quis iudicat, omni graviter decumbenti pulvinar esse subtrahendum, non est conscientia erronea, cum non sit iudicium circa actionem singularem occupatum, est tamen error moralis. Unde error moralis definitur, quòd sit *iudicium*, quô quis id in genere morum verum censet quod falsum est: in quâ definitione neque materiæ universalis neque materiæ singularis fit mentio. Tribus verò evenire potest modis, ut quis in genere morum verum censeat, quod falsum est. Primò, quando quis sibi persuadet, hanc vel illam actionem in universali spectatam esse suscipiendam, cum tamen iure naturali, vel positivô, quô ipse obligatur, sit interdicta, aut esse intermittendam, cum tamen iure naturali

B

vel po-

vel positivô, quo ipse obstringitur, sit præcepta, aut quando quis judicat, hanc vel illam actionem in universali spectatam vi juris naturalis vel positivi, quo ipse obligatur, esse committendam aut omittendam, cum tamen jure naturali vel positivô nec sit prohibita nec præcepta. Secundò quando quis eadem ratione circa actionem in singulari spectatam errat. Tertio cum quis circa circumstantias actionis singularis errat, e. g. cum Jesuita existimat, hunc Lutheranum esse hæreticum, adeoque excommunicandum. Differunt ergò conscientia practica erronea & error moralis strictè philosophando ut angustius & latius. Omnis conscientia practica erronea est error moralis, sed non omnis error moralis est conscientia practica erronea strictius sumta, E. g. cum Jacobus primum cum Lea concumbens existimaret, eam, cum quâ jacebat, esse novam suam conjugem, erat error moralis, & quidem invincibilis, non autem conscientia practica erronea, quia non erat judicium practicum. Pariter quando Jesuita existimat, quòvis Veneris die carne bovinâ non esse vescendum, hoc judicium est error moralis, sed quia non est judicium de actione singulari, non est conscientia practica erronea strictè dicta.

§. X. Obrepat autem conscientia practica erronea ex ignorantia morali cum positivâ tum negativâ, ut *Moralistæ* loquuntur. Hic operæ pretium est, explicare naturam ignorantie morali positivæ & ignorantie morali negativæ. Quemadmodum igitur ignorantia positiva seu pravæ dispositionis dicitur, cum quis habet errorem intellectus veritati contrarium, ignorantia autem negativa seu κατ' ἀπόφασιν appellatur, cum quis non habet notitiam alicujus rei, ut benè docet *Johannes Axorius Tom. I. Instit. Mor. lib. 1. Cap. XII.* ita ignorantia morali positiva est, quando quis existimat, id faciendum, quod jure naturali vel positivô, quo ipse obligatur, est vetitum, & illud intermittendum, quod jure naturali vel positivô, quo ipse obligatur, est præceptum, aut quando quis censet, hanc vel illam actionem vi juris naturalis

ralis

ralis vel positivi, quo ipse obligatur, esse suscipiendam aut intermittendam, cum tamen jure nec sit prohibita nec præcepta, sed sit merè indifferens, item quando quis existimat, actionis circumstantiam esse talem vel talem, cum tamen non sit; ignorantia verò moralis negativa est, cum quis nescit, quod actio aliqua, quæ committenda est, sit committenda, & quod actio, quæ omittenda est, sit intermittenda, aut quod actio, quæ est indifferens, & nec prohibita nec præcepta, sit indifferens, aut quando quis nescit, quænam sint actionis circumstantiæ. Jam conscientia practica erronea non solum promanat ex ignorantia morali κατὰ ἀπίσταν, sed etiam ex ignorantia morali positiva emergit: verbi gratia hujus conscientiæ erroneæ, quâ Judæus judicat, hunc Christianum hîc & nunc defraudandum esse, fons & origo est tum ignorantia moralis negativa, quod nescit, talem defraudationem omitteendam esse, tum ignorantia positiva, quod perperam existimat, quemvis Christianum datâ occasione à se defraudandum esse. Ignorantia positiva, quæ est fons conscientiæ practicæ erroneæ, vel obtingit circa majorem vel circa minorem illius syllogismi, cujus conclusio est conscientia practica erronea. Ignorantia positiva obtingens circa minorem semper est error circa circumstantias commissus. Ignorantia positiva circa majorem variis modis evenire potest, ceu hoc accuratè & pulchrè ostendit *Maximè reverendus Dn. D. Val. Belthem in Introd. in Grot. lib. 2. c. 23. nec non Tab. Mor. XX.* Res exemplis patefcet. E. g. Conscientiæ erroneæ, quâ hic Judæus judicat, hunc Christianum hâc datâ occasione esse defraudandum, causa est ignorantia positiva, quod perperam existimat, quemvis Christianum datâ occasione defraudandum esse: Hic error seu hæc ignorantia positiva obtingit circa majorem propositionem illius syllogismi practici, cujus conclusio est conscientia practica erronea: Totus enim syllogismus, cujus conclusio est conscientia practica erronea, huc redit: *Quisvis Christianus est defraudandus, hic homo est Christianus, Ergo hic homo est defraudandus.* Pariter conscientiæ practicæ erroneæ, quâ Jesuita judicat, hunc Lutheranum nunc esse excommunicandum, causa est ignorantia moralis positiva, quod malè arbitratur,

hunc Lutheranum esse hæreticum : Hæc ignorantia seu hic error, ex quo conscientia practica erronea enascitur, obtingit circa minorem illius syllogismi practici, cujus conclusio est conscientia practica erronea : Totus enim syllogismus, cujus conclusio est conscientia practica erronea, huc redit : Quivis hæreticus est excommunicandus,

Hic Lutheranus est hæreticus, E.

Hic Lutheranus est excommunicandus.

§. 11. Conscientia practica (2.) est vel certa vel opinativa, vel dubia, vel scrupulosa.

§. 12. Conscientia practica certa est dictamen intellectus practicum de actione singulari committendâ vel omittendâ, certò argumentò seu certa ratione nixum. Ratio certa hoc loco dicitur, quæ intellectum practicum ad unum oppositorum ita movet, ut sine formidine alterius oppositi statuat, actionem aliquam committendam aut omittendam esse. E. g. actus ille practicus, quò Joseph judicabat, cum sui Domini conjugè hîc & nunc non esse concumbendum, erat conscientia certa, nitebatur enim hoc argumento : Cum alienâ uxore non est concumbendum ; quæ ratio ita intellectum ejus movebat ad unum oppositum, ut sine formidine alterius oppositi statueret, concubitum cum uxore sui Domini hîc & nunc esse intermittendum.

§. 13. Conscientia practica probabilis est *dictamen intellectus practicum de actione singulari committendâ aut omittendâ ratione probabili alicujus momenti nixum*. Dico (1.) *Dictamen intellectus* : quò ipso distinguitur à conscientia practica dubia, quæ non est dictamen seu judicium, sed suspensio dictaminis seu judicii. Dico (2.) *de actione singulari* : quibus verbis distinguitur conscientia practica probabilis seu opinativa ab opinione morali, quæ non tantum est judicium intellectus de actione singulari sed & de actione in universali spectatâ. Differunt ergò conscientia practica probabilis & opinio moralis ut angustius & latius, Omnis conscientia practica opinativa est opinio moralis, sed non omnis opinio moralis est conscientia practica opinativa strictè dicta. Dico (3.) *judicium ratione*
pro-

probabili nixum. Ratio probabilis h. l. est, quæ intellectum practicum ad unum oppositorum ita movet, ut actionem aliquam committendam aut omittendam statuatur, sed cum formidine oppositi. Formido autem oppositi, cum qua stat conscientia practica probabilis, non excludit assensum determinatum nec dubitationem importat, ut bene docet *Vir exquisiti maxime judicii Magnif. Dn. D. Schilterus in manud. Phil. moral. ad Jurisp. cap. VII. §. 13.* sed consistit in eo, quod quis uni contradictionis parti assensum præbet, ita tamen, ut existimet, etiam oppositam partem veram esse posse, sive rationes oppositam partem svadentes in promptu sint, sive minime.

§. 14. Argumentum illud probabile, quò nititur conscientia practica probabilis, est vel artificiale vel inartificiale. Argumentum artificiale est, quod arte & diligentia agentis moralis ex ipsa quaestione & rei, de qua agitur, natura elicitur; argumentum verò inartificiale vocatur, quod non eruitur ex ipsa quaestione & rei, de qua agitur, conditione, sed assumitur extrinsecus, ut autoritas Virorum, qui accuratò judicio & singulari peritia ac rerum gerendarum usu præcellunt, suamq; sententiam super illa quaestione pronunciant. Atque eundem in modum differit *Hugo Grotius lib. 2. de Jure belli & pacis cap. 23. §. 3.* cum inquit: *Plerumq; in rebus dubiis post examen aliquod animus non in medio hæret, sed huc aut illuc ducitur argumentis ex re petitis aut ex opinione, quam habet de aliis hominibus super eâ re pronunciantibus.* Artificiale argumentum petitur vel ex causis, vel effectis, vel adjunctis aliis, ceu iterum docet *Grotius l. c.* Præcipuum argumentum inartificiale, quo nititur conscientia practica opinativa, est autoritas, & quidem si homo rudis, & rei, de qua quaeritur, non satis gnarus conscientiam probabilem formet, genuinũ argumentũ est autoritas Doctorum, Sapientum, & rei, de qua agitur, peritorũ; si inferior seu subditus conscientiam opinativam eliciat, autoritas superioris quæ docti, probi & prudentis, aut hominũ prudentiorum consilio nitentis, si superior conscientiam probabilem formet, autoritas consiliariorum sapientia excellentium, & quandoque etiam, si doctus conscientiam opinativam conformet, au-

toritas aliorum doctorum ac prudentum. Dixi, præcipuum argumentum inartificiale esse auctoritatem. Nam præter auctoritatem (sapientum sunt adhuc alia genuina argumenta inartificialia, ut consuetudo tacito quodam ac præsumto totius rei-publicæ aut majoris partis consensu confirmata, si ea (ut cum Quintiliano loquar) non irrationabilis sit: item pacta, jura-menta &c. Vid. *Johannes Azorius Tom. 1. Institut. Mor. lib. 2. Cap. X.*

§. XV. Conscientia autem opinativa per hoc, quod nititur ratione & argumentò probabili, distingvitur à conscientia certa, quæ nititur ratione certâ.

§. XVI. Dicitur (4.) in definitione conscientia opinativa: ratione probabili *alicujus momenti*. Per rationem probabilem alicujus momenti h. l. intelligitur ea, quæ intellectum practicum ad assensum uni quæstionis parti præbendum ita movet, ut non leviter ab assensu illo recedat. His distingvitur conscientia opinativa à conscientia scrupulosa: scrupulosus enim animus in quæstione ad actionem pertinente uni parti assentitur, sed motus ex levibus duntaxat conjecturis vel argumentis, ac iterum propter leviuscula quæque argumenta ab assensu recedit. Vid. *Azorius Tom. 1. Institut. Mor. lib. 2. Cap. XX.*

§. XVII. Conscientia probabilis est vel recta, vel erronea. Neque enim conscientiam probabilem opponimus conscientia rectæ, ut multi faciunt. Nam cum rectum & probabile, ceu constat ex Analyticis, simul stare possint, nulla est ratio, quidni etiam alia conscientia probabilis possit esse recta, alia erronea.

§. XVIII. Conscientia scrupulosa est dictamen intellectus practicum de actione singulari committenda aut omittenda, ex argumentis probabilibus iisque levibus ortum.

§. XIX. Dicitur (1.) *Dictamen intellectus*, quò ipsò distingvitur à conscientia dubia, quæ non est dictamen seu judicium, sed absentia & suspensio dictaminis: nam qui dubio animo est, neutri quæstionis parti suum præstat assensum, at

scrup-

scrupulosus animus uni quæstionis parti per assensum accedit, sed de parte oppositâ dubitat, an ea potius sit vera. Videatur *Azorius* Tom. 1. Institut. Mor. lib. 2. cap. XX.

§. XX. Dicitur (2.) ex argumentis *probabilibus* ortum; quô ipsô distinguitur à conscientia certâ, quæ oritur ex ratione certa.

§. XXI. Dicitur (3.) ex argumentis *levibus* ortum; quâ ratione discernitur à conscientia opinativa, ad quam movetur agens morale ex argumentis probabilibus alicujus momenti.

§. XXII. Conscientia scrupulosa appellatur à scrupulo, qui est quædam in anima sollicitudo, an opposita pars, cui non assentitur, sit verior, hominem pungens & discrucians instar lapilli exigui in calceo latentis, qui pedem lædit & divexat.

§. XXIII. Scrupulus, à quo conscientia denominatur scrupulosa, nascitur ex multis ac variis causis. Nam aliquando dæmone suggerente scrupuli injiciuntur animis: aliquando ex imbecillitate capitis oriuntur: aliquando ex malâ corporis constitutione, ex animi infirmitate, ex incitiâ, ex hominum scrupulorum consortio & familiaritate & aliis quibusdam causis promanant. Vid. *Azorius* l. c. Quot modis tales scrupuli ex animo evellantur, ibidem docet *Azorius*, inter quos ille eminet, si scrupulosus præcepto & sententiæ superioris sui maximè pii, sapientis & docti obtemperet, qua ratione quidam (ut fertur) Bernhardsi discipulus à scrupulis liberatus est: Referunt enim, illum scrupulis adeò fuisse vexatum, ut sacro munere defungi non auderet; cum autem Bernardus id suscipere munus jussisset, morem gessisse, & scrupulis solutum penitus evasisse.

§. XXIV. Dubia conscientia est ambiguitas & fluctuatio intellectus nescientis, ad quam partem illius quæstionis, qua quæritur, num hæc actio singularis licita sit vel illicita, se se determinare debeat. Studio in hac definitione mentio fit *actionis singularis*: per hoc enim dubia conscientia discernitur

nitur

nitur à dubio morali. Nam dubium morale non tantum est fluctuatio circa actionem singularem, sed & circa actionem universalem: at verò conscientia dubia præcisè est de actione singulari. Unde dubium morale definitur per ambiguitatem & fluctuationem intellectus nescientis, ad quam partem sese in genere morum determinare debeat.

§. XXV. Atque hinc manifestum est, quòd conscientia dubia propriè non sit conscientia, sed conscientia suspensio & absentia. Nam conscientia est determinatum dictamen & iudicium, seu determinatus assensus, dubia autem conscientia non est iudicium aut assensus, sed potius suspensio iudicii, ut docet *Magnif. Dn. Schilterus* l. c. §. 10. cum qui laborat conscientia dubia neque iudicet, actionem singularem esse suscipiendam, neque statuatur, eam esse intermittendam, sed suspensus in utramque partem hæreat.

§. XXVI. Differt ergò conscientia dubia à conscientia certa, probabili, & scrupulosa in eo, quòd conscientia dubia non sit iudicium, conscientia autem certa, probabilis & scrupulosa sint iudicia ac dictamina, seu conscientia dubia à conscientia probabili & scrupulosa per hoc discernitur, quòd, qui cum dubia conflictatur conscientia, neutri quæstionis parti assentitur, qui verò habet conscientiam certam, probabilem, & scrupulosam, uni quæstionis parti per assensum accedit.

§. XXVII. Conscientia dubia appellationem habet à dubitatione. Dubitatio autem est duplex vel practica vel theoretica. Dubitatio practica à *Philosophis* dicitur, cum quis dubitat, num actio aliqua singularis licita sit vel illicita: v. g. cum quis ambigit, num hîc & nunc hâc carne suilla liceat vesci, nec ne? Hæc dubitatio vocatur aliàs *dubitatio proximè practica*. Vid. *Calixtus epit. Theol. Mor. pag. 33.* Dubitatio autem speculativa immediatè non versatur circa actionem aliquam singularem, & nuncupatur aliàs dubitatio remotè sive theoreticè practica. Conf. *ibid. Calixtus.* Dubitationem speculativam iterum duplicem faciunt *Philosophi*, vel dubi-

dubium juris, vel dubium rei. Dubium juris vocant, quando de actione in universali, num licita sit, an illicita, dubitatur; v. g. num liceat vesci carne suillâ, nec ne? num liceat usuram accipere, nec ne? num liceat militare, nec ne? Dubium rei vocant, quando neque de actione generatim neque de actione particulariter sumtâ dubitatur, num licita sit vel illicita, sed de alia quadam re suo certo modo ad actionem pertinente ambigitur, e. g. cum quis dubitat, num hoc vel illud suum sit nec ne? it. cum quis certus est, hujus principis sui tympanum sequendum esse, dubitat autem, num bellum, quod princeps suus gerit, legitimum sit & justum.

§. XXVIII. Ita quidem *Philosophi* distinctionem inter dubium practicum & theoreticum proponunt, sed *JCti* eam paulò aliter explicant. Hi enim dubium theoreticum vocant, quod est de ipsius rei qualitate, sive in genere dubitetur, sive in hypothese & de re singulari, v. g. an res, quam possideo, sit mea, vel aliena? Practicum verò appellant, quod de agendo vel omittendo quaerit, sive in genere id fiat, sive in hypothese, e. g. an hæc res in individuo, quam occupavi, sit retinenda? In eo scilicet discrepant *Philosophi* & *JCti*, quòd illi ad dubium theoreticum referunt etiam dubitationem de actione, si in thesi seu in universali spectetur, hi verò dubium theoreticum restringunt ad quaestionem de rei qualitate; e. g. dubitationem, an liceat jurare, nec ne? referunt *Philosophi* ad dubium theoreticum, cum sit de actione in thesi seu universali consideratâ, sed *JCti* eam dubitationem practicam appellant. Vid. *Dn. D. Schilterus lib. cit. c. 7. §. 11.* Quatenus autem *JCti* non opponunt quaestiones ad rei qualitatem spectantes quaestionibus, quæ ad actiones pertinent, plane convenit ipsis cum *Philosophis*. Ad praxin enim referunt duntaxat ea, quæ ad singulares actiones pertinent, ad theoriam, quidquid vel rei naturam & qualitatem, vel actiones in universum spectat. Practicus hinc bonus vocatur, qui de singularibus actionibus rectum ferre potest judicium; theoreticus bonus, qui & naturam cujusque rei & jura de actionibus in universum statuta probe tenet.

CAP. II.

De Obligatione conscientiae
practicæ.

§. I.

Obligatio conscientiae practicæ est duplex vel passiva vel activa, quia conscientia practica pro diversò respectu & regulati & regulæ rationem habet. Nempè si referatur ad rectam rationem & leges, quibus homo obstringitur, habet rationem regulati, si verò referatur ad hominem & humanas actiones, habet rationem regulæ ac normæ. Pro diverso hoc respectu ejus obligatio est vel passiva & activa. Obligatio conscientiae practicæ passiva est illa, quâ obligatur homo conformare conscientiam practicam seu judicium practicum rectæ rationi legibusque, quibus obstringitur: Obligatio autem conscientiae practicæ strictè dictæ activa consistit in eo, quòd conscientia practica homini imponit necessitatem moralem suscipiendi aut intermittendi id, quod ipsa suscipiendum aut intermittendum dicitur, & hominem, nisi morem gerat, neglecti officii contractæque inde offensionis Dei reum redarguit. Vid. *Magnif. Dn. Struvius Synt. jur. Civ. Exerc. 2. §. 13.* *Sanderfon in tract. de obligatione conscientiae prælect. 2. §. 2. it. præl. 5. §. 5.* & *Calixtus l. c. pag. 33.* Loquor in hoc capite præcisè de Obligatione conscientiae practicæ activæ.

§. II. Quanquam verò conscientia practica magnam obligandi vim obtineat, eam tamen non habet à jure quodam superioritatis sibi proprio & ab autoritate propria, sed partim à jure Dei supremo & immutabili, partim à jure Magistratui conveniente: Quicquid enim præcipit aut prohibet, non jubet aut interdicit autoritate propriâ seu jure superioritatis sibi proprio, sed tantum nititur autoritate DEI vel Magistratus præipientis aut interdicens hanc vel illam actionem. Vid. *B. Joh. Musæi eruditissima dissertatio de Luminis natura & ei innixæ Theologiæ naturalis insufficientia ad salutem contra Edoardum Herbert de Cherbury Baronem Anglum §. 69.*

§. III.

§. III. Ut vis ac natura obligationis conscientiae practicae rectius proponatur, certas & distinctas de eâ necemus conclusiones. Sit ergo

Conclusio I. Conscientia recta obligat hominem ad committendam eam actionem, quam suscipiendam, & omittendam illam actionem, quam intermittendam dicitur, ut spontanea commissio actionis illius, quam conscientia recta omittendam, & omissio actionis illius, quam eadem committendam praescribit, sit peccatum, & quidem tanto gravius, quò liquidius homo intelligit, quid hîc & nunc agere aut non agere conveniat. Conclusio hæc per se manifesta est. Vid. Dn. Samuelis Pufendorffii lib. I. de Jure Nat. & Gent. cap. 3. §. 5. Loquor autem in conclusione de conscientia recta, quæ directè opus prohibet aut præcipit. Nam conscientia recta, quæ suadet saltem vel disuadet, suo quidem certo quodam modo instigat, sed tantam obligandi vim non habet. Vid. Calixtus Epit. Theol. Mor. pag. 23. it. pag. 26. 27.

§. IV. *Conclusio II. Conscientia practica recta obligat hominem ad agendum hîc & nunc illud, quod praescribit, si suo arbitrio rem gerat, si verò negotium sit alterius, secus se res habet: e. g. conscientia, quæ dicitur, huic egeno hîc & nunc bonis fortunæ subveniendum esse, obstringit hominem ad opem hîc & nunc ferendam, si bonis fortunæ, quæ in promptu sunt, suo arbitrio uti liceat, non verò ad opem hîc & nunc egeno ferendam obligat, si, quæ adsunt, bona fortunæ sint alterius: sufficit in tali casu, si egenis non noceat.* Vid. Hornei Phil. Mor. lib. 3. cap. 4. §. 4.

§. V. *Conclusio III. Conscientia practica erronea ita obligat, ut peccet, qui contra eam agit, sive id, quod faciendum aut omittendum conscientia dicitur, sit moraliter necessarium (h. e. præceptum aut prohibitum jure naturali vel positivo) sive sit merè indifferens.* Benè inquit Hugo Grotius lib. 2. de Jure B. & P. c. 23. §. 2. *Etiamsi quid justum re ipsa est, sed ab eo fit, qui omnibus expensis injustum id existimat, actus est vitiosus.* E. g. si Judæus, qui hunc Christianum hîc & nunc defraudandum esse judicat, contra hanc suam conscientiam erroneam agat, & non imponat Christiano, delinquit, etiamsi defraudatio illa sit per se mala & non defraudatio in se bona. Similiter si Jesuita, qui judicat, hîc Veneris die hâc carnem

bovinâ non esse vescendum, contra hanc suam conscientiam erroneam agat, & hoc Veneris die hâc carne bovinâ vescatur, omninò delinquit, etiamsi esus hujus carnis bovinæ hâc Veneris die commissus in se sit indifferens. Conclusio hæc probatur eò ipsò, quod proximè sequentes duæ conclusiones confirmantur.

§. VI. *Conclusio IV.* Si illud, quod conscientia erronea suscipiendum dicitur, est prohibitum jure naturali aut positivò, quò errans obstringitur, vel si illud, quod conscientia erronea intermittendum dicitur, est præceptum jure naturæ aut positivò, conscientia erronea ita stringit, ut homo peccet, sive secundum sive contra eandem faciat. Peccat homo, si secundum eam faciat, quia suscipit illud, quod jure naturali vel positivò, quò ipse obligatur, vetitum est, aut intermittit id, quod jure naturæ vel positivò, quo ipse obligatur, est præceptum: Peccat etiam, si contra eandem agat: Licet enim nullus hîc occurrat actus exterior, qui reverà & in se discrepet à lege, is tamen, qui contra conscientiam erroneam agit, in tantum peccat, in quantum habet voluntatem contra legem agendi, legemque consultò adspernatur: Nam suscipit id, quod lege naturæ vel positivâ præceptum esse existimat. At qui habet voluntatem contra legem agendi, legemque contemnit, peccat. E.g. Judæus, qui persuasus est, hunc Christianum hâc datâ occasione esse defraudandum, impingit, sive contra, sive juxta hanc suam conscientiam erroneam faciat. Peccat, si juxta eam agat, quia committit illud, quod jure naturæ & divino est prohibitum, peccat etiam, si contra faciat, atque hæc conscientia erronea suggerit, quia habet voluntatem agendi contra legem, quâ Judæum obstrictum putat ad quemvis Christianum datâ occasione defraudandum. Vid. *Hornei Phil. Mor. lib. 3. cap. 4. §. 5.* Dicis: Ergò homo conscientiam erroneam laborans necessitate quâdam delinquendi constringitur? Resp. Omninò talis homo necessariò peccat, necessitate scilicet hypotheticâ, positò nempe, quòd conscientiam erroneam foveat, & quamdiu ille error durat. Sicut enim is, qui ad ignem accessit, necessariò incalescit, calidusque manet tamdiu, quamdiu igni adstat, nec tamen amplius incalescet, modò deseruerit ignem: ita qui laborat conscientiam erroneam, quamdiu eam imbutus est, necessariò peccat, quocunque se gerat modò, sive
 contra

contra five juxta eam faciat, nec tamen amplius necessario delinquet, si ab illa fuerit liberatus.

§. VII. *Conclusio V.* Si illud, quod conscientia erronea committendum aut omittendum dicitur, nec est præceptum nec prohibitum jure naturali vel positivo, quo errans obligatur, conscientia erronea ita obligat, ut delinquat, qui adversus eam agit, non verò qui ex ejus præscripto se gerit. Peccat, qui contra eam agit, quia habet voluntatem agendi contra legem, cum committat id, quod lege prohibitum esse judicat, aut intermittat illud, quod lege præceptum esse statuit: Non autem peccat, qui ex ejus præscripto se gerit, quia illud, quod secundum dictamen conscientia illius erronea committit aut omittit, nullâ lege, quâ ipse obstringitur, præceptum est aut prohibitum. E. g. judicium, quo hodie existimat Judæus, hanc carne suillâ non esse vescendum, est conscientia erronea, cum illud lege divinâ positivâ hodie sibi interdictum, adeoque vi legis interdicens omittendum esse credat, quod lege divinâ positivâ hodie neque est prohibitum neque præceptum, sed merè indifferens, & profuit hæc conscientia erronea ex ignorantia κατ' ἀποφασιν, quòd Judæus nescit, leges ceremoniales hodie esse abrogatas: Hæc conscientia ita stringit, ut, si contra eam agat, & carne suillâ vescatur, peccet, quia suscipit id, quod ob legem divinam interdicens omittendum esse judicat, non autem delinquat, si juxta eam faciat & esu carnis suillæ abstineat.

§. VIII. *Conclusio VI.* Conscientia probabilis, quæ est de actionibus moraliter necessariis, non obligat, si in contrarium adsit conscientia certa, vel saltem probabilior, & peccat potius, qui neglectâ conscientia certâ obtemperat conscientia probabilis, aut neglectâ conscientia probabiliore sequitur conscientiam minus probabilem, nisi minus probabilis sit tutior. Ut hæc conclusio pateat, notandum primò est, quòd conscientia probabilior dicatur, quæ meliora habet fundamenta, minus verò probabilis, quæ licet non habeat fundamenta meliora, tamen fundamenta ejus non sunt sufficiente probabilitate destituta, ceu rectè docet

Theologus Celeberrimus Dn. Joh. Adamus Osiander annot. in Lib. 2. Grot. de Jure B. & P. cap. 23. p. 1237. Secundò hîc notandum, est, quòd conscientia tutior h. l. sit, quam qui sequitur, certum est non peccare, aut in qua sequenda si vel maximè à scopo aberretur, non adeò grave provenire potest malum, quàm si ex altera parte fuisset impactum. Ratio conclusionis est manifesta. Qui enim, cum quæritur de actionibus moraliter necessariis, conscientia certæ conscientiam probabilem aut conscientie probabiliori minò probabilem anteferet, is sponte suâ non sine reprehensione periculum erroris aut peccati incurreret. Studio autem additur in conclusione, *nisi minus probabilis sit tutior.* Quando enim conscientia minus probabilis tutiore est, minò probabilem probabiliori præferre licet, imò quandoq; oportet. E. g. si duæ adsunt conscientia, quarû altera hoc bellum hîc & nunc suscipiendum, altera autem hîc & nunc omittendum dicit, ut tamen hæc, quæ à bello hîc & nunc abstinendum statuit, sit minus probabilis; tali in casu hæc, quæ bellum hîc & nunc interdicit, est tutior, & præferenda. Pertinet huc, quod habet *Grotius lib. 2. de jure belli & pacis Cap. 23. §. 13. In bello vix est, ut temeritas saltem omnis & dilectionis defectus absit ob negotii ipsius gravitatem, quæ omninò talis est, ut causis probabilibus non contenta quàm maximè evidentes requirat.*

§. IX. *Conclusio VII. Si duæ adsint conscientia equè probabiles, i. e. ratione probabili equalis momenti fulta, & res, de quibus agitur, mediocres sint parvique momenti, neutra earum stringit, sed potest quis alterutram pro lubitu sequi: Si autem res, de quibus disceptatur, sint magni momenti, illi obsequendum est conscientia, quæ tutior est.* E. g. si Judex duas habeat conscientias æquè probabiles, quarum altera captivum & capitis reum absolvendum, altera condemnandum dicit, res, de qua agitur, est magni momenti, nempe supplicium hominis capitale, unde obtemperandum est conscientia tutiori: Tutior autem est illa, quæ reum dimittendum dicit, minus tuta, quæ reum in tali casu condemnandum jubet. Satius enim est, nocentem absolvere, quàm insontem condemnare.

Nam

Nam in illo error est, in hoc autem facinus. Pertinet huc, quod ait scriptor *problematum*, quæ Aristotelis nomen præferunt: *ἕκαστος ἡμῶν μάλλον ἢ περιελοῖς τὴν ἀδικεῖν ἀποψηφίσαι. Δαίω ὡς ἐν ἀδικεῖ, ἢ ἔμὴ ἀδικουῦντος καταψηφίσαι ὡς ἀδικεῖ.* *Nemo est nostrum, qui non malit absolvere quemvis nocentem, quam damnare innocentem.* Pariter si Princeps duas habeat conscientias æquè probabiles, quarum una bellum inferendum dicet, altera verò bellum inferre vetet, aut dissuadeat, negotium, de quò quæritur, est maximi momenti, cum, ut bene ait Grotius lib. 2. de *Jure belli & P. cap. 23. §. 6. ex eo mala plurima etiam in innocentes sequi soleant*; unde inter sententias illas alternantes amplectenda est ea, quæ ad pacem vergit, & omnes tentandi sunt modi, quibus exortæ controversiæ componi possunt, ne in apertum prorumpant Martem. Tres autem modos lib. 2. cap. 23. recenset Grot. quibus vitari potest, ne res in arma erumpat, nempe colloquium, compromissum, & sortem, cujus affine quid esse certamen singulare existimat. Id ipsum, quod in hac conclusione statuimus, docet Grotius lib. 2. de *J. B. & P. cap. 23. §. 5. cum inquit: Accidere autem in multis controversiis potest, ut ab utraque parte probabilia se ostendant argumenta sive intrinseca (i. e. ex re ipsa seu quæstione practica, de qua agitur, petita) sive ab aliorum autoritate. Id cum accidit, si res mediocres sunt, de quibus agitur, videtur vitiò carere posse electio, in utramvis partem ceciderit. At si de re magni momenti, ut de supplicio capitali hominis agitur, jam propter magnum discrimen, quod est intereligenda, preferenda est pars tutior, ut dici solet: In istam partem peccato tamen.*

§. X. Conclus. VIII. *Inter duas conscientias probabiles, quarum una benignior est ac mitior, altera durior magisque odiosa apparet, non semper obligat benignior ac mitior, quia quandoque cum periculo peccandi conjuncta est.*

§. XI. Conclus. IX. *Homo doctus, aut rei, de qua quæstio est, sat peritus sæpè obligatur ad agendum juxta conscientiam probabilem ratione probabili à se inventa ac ex ipsa rei natura petita nitentem, & ab alia conscientia nixâ aliorum virorum doctorum ac sapien-*

sapientum autoritate & opinione discrepantem. Ratio conclusio-
nis est manifesta. Evenire enim potest, ut doctus, qui no-
bilis ingenii & accurati iudicii dotibus præfulget, animadver-
tat aliquid, quod alii sapientes ac eruditi non perspexerunt,
rectiusque iudicet, quàm alii docti viri ac prudentes pronun-
ciant, persuasus planè, se rectius, quàm alii iudicant, senti-
re: Tali in casu vir doctus omninò tenetur sequi suam con-
scientiam probabilem ratione probabili à se inventâ nitentem:
Aliàs enim se peccandi periculo exponeret.

§. XII. Conclusio X. *Quandoque vir sapiens ac doctus conscientiam suam propriam & ratione probabili à se excogitatâ nitentem deserere, & illam suam conscientiam, quæ aliis eruditis & sapientibus, qui aliàs super re aliquâ accuratè pronunciare consueverunt, probatur aut eorum nititur autoritate, sequi tenetur, si scilicet non certò apud animum persuasus sit, conscientiam suam propriam & ratione probabili à se inventâ nitentem esse meliorem & firmiori fultam argumento, aut si planè sciat, conscientiam, quæ aliis sapientibus probatur, solidiori niti fundamento quàm propriam, aut si conscientia aliis approbata sit tutior, etiam si minus probabilis. Æquum enim est, ut is, qui novit, plures illos doctos & sapientes, quibus conscientia à propriâ discrepans approbatur, aliàs de rebus accuratè iudicare, propriam autem conscientiam, haud majori gaudere probabilitate, propriam conscientiam firmiori ratione non suffultam deserat, & conscientiam aliis sapientibus probatam aut eorum autoritate nitentem sequatur. Porro fas est, ut is, qui novit, conscientiam aliis sapientibus, qui aliàs accuratè de rebus sentiunt, approbatam firmiori stabiliri ratione, quàm suam propriam, suâ conscientiam propriâ insuper habitâ conscientiam pluribus sapientibus ac eruditis approbatæ obsequatur. Est enim obstinati hominis, neminem se prudentiorem agnoscere, ceu benè ait Vir supra omnem laudem positus Magnif. Dn. Zieglerus not. in lib. 2. Grot. de I. B. & P. Cap. 23. Unde Azorius Tom. 1. Inst. Mor. lib. 2. cap. 13 benè inquit: Ut plurimum doctorum opinio in rebus agendis est anteponenda. Pertinet huc illud Hesiodi: Præstantissimum est per se sapere*

Sapere proximum duci alienâ ope. Dicis : Is , qui propriâ conscientiam neglectâ agit juxta conscientiam aliis sapientibus approbatam , delinquit , quia agit contra conscientiam suam. Resp? Conscientia aliis doctis ac prudentibus approbata est & fit ipsius agentis , qui propriâ conscientiam neglectâ illam sequitur , quatenus ipse quid hic & nunc agere & non agere conveniat , ex loco autoritatis humanæ Concludit.

§. XIII. *Conclusio XI.* Homo indoctus aut rei , de quâ questio est , non satis peritus obligatur ad agendum juxta illam conscientiam probabilem , quam à viris doctrinâ , probitate , atque peritiâ conspicuis maximè probari intelligit , & ad negligendam eam , que ipsi ab initio probabilior videtur. Cum enim ipse tantâ ingenii judiciiq; acrimoniâ non polleat , ut rationum momenta satis ponderare ac dignoscere queat , satius est , si illi conscientie probabili obsequatur , quam à viris doctis atque probis probari intelligit , quàm si juxta aliam agat , quam à viris illis vel planè damnari , vel non æquè approbari persentiscit. Unde rectè ait *Grotius lib. 2. de Jure B. & P. cap. 23. §. 4.* Qui peritiam non habent , ut activum (practicum) judicium rectè conforment , tenentur audire sapientum consilia.

§. XIV. *Conclusio XII.* Si adsint diverse conscientie probabiles , que pares sunt sive numero sive auctoritate Doctorum , indoctus eam sequi tenetur , que magis religioni , pietati , & juri favet. Vid. *Azorius Tom. I. Instit. Mor. lib. 2. cap. XV.* Hâc conclusione rejicimus sententiam recentiorum *Casistarum & Jesuitarum* , qui statuunt , licere cuivis quamlibet promiscuè opinionem , quam fovent quatuor vel tres , vel duo , vel unus etiam Doctor , à quo alii non minore autoritate præditi in diversa abeunt , tutò sequi. Verùm hâc *Jesuitarum* sententiâ solida doctrinæ moralis fundamenta penitus convelli ac subverti , hominumque conscientias à libidine sacerdotum commodis suis inhiantium suspendi , benè docet *Ludovicus Montaltius in Epist. provincialibus* passim , & ad easdem *Wendrockius & Samuel Rachelius*.

§. XV. *Conclusio XIII.* Superior seu Princeps , qui negotii , de quò agitur , non satis est gnarus , obligatur ad agendum juxta con-

scientiam probabilem, quam sapientes aut consilarii prudentes probant: σοφοὶ τὸ γινώσκοντες τῶν σοφῶν συμβοῖα, dat sapere regi turba sapientum comes. Hinc Romani veteres non nisi consulto collegio fecialium ad id instituto, & Imperatores Christiani vix nisi auditis Episcopis bella suscipiebant, ut, si quid esset, quod religionem injicere posset, ejus monerentur.

§. XVI. Superior seu Princeps, si rei, de qua agitur, satis peritus est, sepius obligatur ad agendum juxta conscientiam probabilem propriam & à conscientia, quam consilarii comprobant, discrepantem. Conclusio hæc ex conclusione IX. patescit.

§. XVII. Conclus. XV. Subditus conscientiam probabilem autoritate superioris ut docti, probi, prudentis, aut ex consiliorum sapientum consilio imperitantis nixam præferre debet alii probabili conscientie aliâ probabili ratione suffulta. E. g. si subditus duas habeat conscientias probabiles, quarum una autoritate principis probi & sapientis arma capessere jubentis nitens hîc & nunc belligerandum esse dicat, altera verò aliâ ratione probabili nitens hîc & nunc arma arripere vetet, illi præ hac morem gerere tenetur.

§. XVIII. Conclus. XVI. Si scrupulus, à quo conscientia scrupulosa appellatur, est rationalis, ita conscientia scrupulosa obligat, ut ratio ejus sit habenda & electio alterutrum oppositorum differenda, donec scrupulus rationibus aut sapientum auctoritate extimatur, & animus anxietate liberetur: Quod si verò scrupulus rationalis evelli nequit, & alterutrum oppositorum necessario est eligendum, homo id amplecti debet, quod probabilius est. Si scrupulus est irrationalis, ut quando oritur ex melancholia, molli quâdam superstitione, inani suspiciuncula, conjectura, atræ bilis exuberantia, aut aliis levibus quibusdam causis, conscientia scrupulosa nulla habenda est ratio, & qui subest, scrupulus negligendus, & quantum fieri potest, animo expellendus est, ne, si ipsi indulgeas, incrementa sumat, & te in majores animi perturbationes precipitet. Vid. Contr. Hornei Phil. Mor. lib. 3. cap. 4. §. 9. & Dn. Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib. 1. cap. 3. §. 9.

§. XIX. Conclus. XVII. Is, qui cum ambigua conflictatur

conscientiâ, omnes quærere tenetur modos, queis sese ab illa liberet. Si enim non omnem navaverit operam, ut ex istiusmodi fluctuatione eluctetur, ignorantia culpabilis interveniet. Quòd si verò hæsitatio illa attentâ consideratione omnique studio adhibitò nequit expediri, sequendum erit illud *Ciceronis*: Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum, ut rectè docet *Grotius l. c. §. 2.* Impingit enim, quicumque conscientia dubiâ & velut in æquilibriò adhuc hærente ad id, de quo ambigit, se determinat: Nam qui actionem aliquam committit, de quâ dubitat, utrum sit committenda, aut omittit, de quâ ambigit, utrum sit omittenda, præsentissimum periculum peccandi consultò incurrit, cum fieri possit, ut commissio aut omissio illa, de quâ quis dubitat, an licita sit nec ne? sit mala. At exponere se periculo peccandi est impingere ac peccare. Vid. *Hornejus l. c. §. 8.* Accedit, quod is, qui suscipit actionem, de quâ dubitat num licita sit, nec ne? aut intermittit actionem, de qua dubitat, an sit omittenda, velit peccatum, saltem eventualiter, ut bene docet *Magnif. Dn. Schilterus l. c. §. 10.* cum consentiat in actum commissionis seu omissionis, siue bonus sit siue malus, & perinde æstimet, bene an malè operetur, legem observet an violet, Deum offendat annon? Nescit enim, an actus commissionis aut omissionis, in quem consentit, sit licitus ac bonus. Hinc igitur dicit *Apostolus Rom. XIV. v. 22.* Qui dubitat, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide, quicquid verò ex fide non est, peccatū est. Loquitur *Apostolo* citatò capite de cibis lege Mosaicâ interdictis, quorū esus, postquam Evangelium illuxerat, reapse erat indifferens. At quidam Christianorum adhuc infirmi credebant, esum ciborum lege Mosaicâ prohibitorum etiamnum illicitum esse, quidam verò, num licitus sit vel illicitus, ambigebant. Et priores quidem erroneâ laborabant conscientia, posteriores autem cum dubiâ colluctabantur. Ad priores pertinent verba versus 14.: Novi nihil esse immundum per se, sed ei, qui reputat aliquid esse immundum, immundū est. Posteriores concernunt verba versus 22. quæ paulò ante producebamus: Qui dubitat, si ederit, condemnatus est, quoniã non edit ex fide, quicquid verò ex fide non est, peccatū est: quò in versu fides animi

judicium de re seu conscientiam practicam significat, ut rectè observat *Grotius l. c. §. 2.* non tamen penitus exclusâ fide salvificâ. At quod quis dubiâ conscientiâ suscipit aut intermittit, non fit ex fide seu ex conscientiâ practicâ, cum conscientia dubia propriè loquendò non sit conscientia, sed conscientix absentia & suspensio.

§. XX. *Conclus. XVIII.* Quod si verò abortum dubium summâ diligentia etiam alios consulendò expediri nequit, & necessario alterutrum oppositorum est eligendum, ut tamen de utroque, an æquum sit, dubitetur, tunc agens partem tutiorem aut quod minus iniquum ipsi videtur eligere tenetur. Semper enim ubi electio evadi non potest, minus malum rationem boni subit: τὰ ἐλάχιστα ληπιέον τῶν κακῶν, inquit *Aristot. lib. 2. Nic. cap. 9* Vid. *Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 23. §. 2* & *Calixtus Epit. Theol. Mor. p. 33.* E.g. Judex, qui dubitat non tantum, an licitum sit, hunc reum hîc & nunc condemnare, sed & ambigit, utrum hic reus hîc & nunc sit absolvendus, si dubitatio illa expediri nequit, tenetur reum absolvere: Minus enim iniquum est nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. Item si subditus, qui à Principe ad bellum evocatur, non tantum dubitet, utrum æquum sit, hîc & nunc arma capessere, sed & fluctuet, an Principis mandato hîc & nunc reluctari conveniat, tenetur eligere partem tutiorem: In tali autem casu tutior pars est, superiori arma imperanti obsequi: Majus enim periculum est inobedienciæ quàm ita suscepti belli.

§. XXI. Hîc monent simul *Moralistæ* primò, quod quamvis dubitatione practica seu conscientia dubia animum divexante non liceat agere, stante tamen dubitatione speculativâ agere liceat. Nam potest quis non obstante dubitatione speculativâ certam conformare conscientiam, & certò statuere, hanc actionem hîc & nunc esse suscipiendam aut intermittendam, & sic, dum dubitatione speculativâ laborans unum oppositorum apprehendit, ex conscientia id facit. E.g. illi, qui dubitat, an principis sui bellum justum sit nec ne? judicat tamen & practicè certus est, Principi arma imperanti nunc esse obsequendum & ad arma procurrendum, agere, bellum

bellumque inire licet. Quamvis enim speculativè dubitet, certam tamen habet conscientiam practicam, & certò statuit, arma hic & nunc esse capeffenda, cum in re dubia obtemperandum sit superiori. Pertinet huc quæstio illa: An subdito, cui arma imperantur à superiore, si dubitet, an Principis bellum justum sit nec ne? sit parendum an quiescendum? *Grotius lib. 2. de J. B. & P.* existimat, tunc quiescendum esse subdito & à bello abstinendum, quod, qui dubitat contemplativè, debeat judiciò activò eligere partem tutiorem, quæ sit abstinere bellò. Alii parendum esse censent in tali casu superiori ad bellum evocanti. Valet enim hîc regula illa: Tene certum, relinque incertum: Jàm verò certum est, quod subditi debeant parere Magistratui non præcipienti manifestò impiâ & injusta, ceu docent *B. Johannes Gerhardus Loc. de Magistr. n. 399.* & *B. Joh. Hulsemannus in brev. cap 20. n. 19.* incertum autem est, bellum illud, ad quod subditus evocatur à Principe, esse injustum. Vid. *Magnif. Dn. Zieglerus not. in Grot. lib. 2. de J. B. & P. cap. 26.* Nec obstat dictum illud, quod *dubitas, ne feceris*, cum hoc intelligendum sit de dubitatione practicâ seu activâ, qui autem dubitat speculativè, qualis dubitatio est, cum quis dubitat, an hujus vel illius belli causa justa sit nec ne? possit activò judiciò non dubitare. Quod ait *Grotius*, in tali casu partem tutiorem esse abstinere bellò, ad id respondetur, tali in casu tutior pars est militare, non autem bello abstinere, cum tenendum sit certum, relinquendum incertum, ut modò dictum. Adscribimus judicium, quod de hac quæstione pronunciat *Philosophus & Sctus excellentissimus Dn. Johannes Philippus Slevogtius, Patronus & Preceptor noster summâ observantiâ colendus in prælect. publ. in Polit. Cellular. cap. XI. & XII.* Quamvis autem injustum bellum sit, modò non manifestò de injustitia constet, honeste subditi superiori arma & auxilium imperanti obsequuntur. Quia enim ipsorum non est, rationem gerendorum à Majestate postulare, fieri potest, ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo servitutis. *Quæ Augustini contra Faustum*

stum verba sunt lib. 22. cap. 5. ubi fas subdito esse statuit, etiam sacri-
 lego Rege jubente bellare, si vel certum sit, non esse contra Dei præ-
 ceptum, quod imperatur, vel utrum non sit, adhuc dubitetur. Du-
 bitationem enim tollit præsumptio pro imperante aut ejus saltem pote-
 stas atque autoritas. Hinc Mettius apud Livium (quamquam is
 abutebatur hoc obtentu) negabat suum esse, interpretari, recte an
 perperam Albani Romanique bello inter se sint certaturi. Fuerit,
 inquit, ista ejus deliberatio, qui bellum suscepit, me Albani
 gerendo bello ducem creavere. Conductitiis hominibus major
 cautio adhibenda, illis præcipuè, qui intellectu rerum civilium pol-
 lent, ac faciliè queunt pretextus verasq; causas armorum & depre-
 hendere & dijudicare. Rude vulgus tantum fugiat partes manifestò
 iniquas: Easdem nec cives nec subditi licitè tueri queunt. Nam
 Deo magis, quàm hominibus parendum. Hæc laudatus Slevog-
 tius. Quando vero diximus, quod stante dubitatione spe-
 culativâ liceat agere, sermo nobis est de dubiò speculativò rei.
 Qui enim conflictatur cum dubiò speculativò juris, necessariò
 etiam dubio practico laborat. Quia autem nemini, quam-
 diu cum dubitatione practicâ colluctatur, licitum est agere,
 ideò etiam stante dubitatione juris speculativâ, ex quâ neces-
 sariò enascitur dubitatio practica, & cum qua dubitatio pra-
 ctica necessariò cohæret, nulli est concessum agere, & cum
 dubio juris speculativo non magis actio recta esse potest, quàm
 cum dubio proximè practico. E. g. qui dubitat generatim,
 num liceat carne suillâ vesci, non potest non dubitare, num
 liceat hic & nunc carne suillâ vesci, & sicut huic, qui dubi-
 tat, num liceat hîc & nunc carne suillâ vesci, non licet carne
 suillâ vesci, ita etiam illi, qui dubitat generatim, num liceat
 suillâ vesci, comedere suillam non licet.

§. XXII. Secundò hîc monent *Moralistæ*, quòd, si
 quis dubio rei speculativo crucietur, practicè verò determi-
 natum intellectus judicium habeat, omninò debeat ac tenea-
 tur agere: e. g. is, qui dubitat, utrum bellum, ad quod à
 Principe evocatur, sit justum nec ne, certò autem statuit,
 principi suo hîc & nunc obsequendum, & arma arripien-
 da

da esse, cum in re dubiâ superiori sit obediendum, tenetur
agere, & ad arma procurrere, modò nulli pepererit operâ,
quâ hoc dubio se expediret. Quisquis enim tali in casu non
agit id, quod agendum intellectus dicitat, agit contra
conscientiam, adeoque peccat.

Tantum hâc vice.

Soli Deo Gloria.

Quam Tibi continuo studio doctrina parâsti,
Fam vult iudiciis emicuisse suis.

Non scribis vanum, spinas non queris inanes,
Sed moris tradis dogmata pulchra probi.

Collaudat pulchros Academia nostra labores

Est & in applausus officiosa tuos.

Premia Tu tandem poteris speciosa referre,

Mens nisi langvescat deficiatque Tua.

Hæc

Disputationis eruditæ Autori Præ-Eximio

DN. Reyhero,

J. U. C.

Amico honorando scrib. gratul.

Frid. Bechmann. D. P. P.

Dum gestis, quâ mens dicitur facienda, docere

Artis & instructi conscius ingenii,

En Te collaudant docti, & fecisse Camœnis

Veri cultoris diceris officium.

Doctissimo DNO Reyhero ad optima quevis
pulchre contendenti gratulaturus volan-
te crenâ f.

Val. Belthem/SS. Theol.

D. & P. P.

Con.

Conscia quæ recti virtutis femina profert
Mens solidam laudem conciliare solet.
REYHERUS patriæ virtutis congener hæres
Non minimum famæ jungere pondus amat.

*Gratulante voto affectum testatur
sincerum*

Georg VVolffg. VVedelius D.

TE, REYHERE, movet magni Genitoris imago,
Ut celer ingenio fervidiore ruas.

Auspice Patre Tuò sapuit prætexta Magistrò,
Et Duce eò didicit barbarus apta loqui.

Doctorum Pater est, & pulchri Doctor, & ejus
Curâ doctorum spargitur ampla seges.

Curia, templa, lares debent aulæque potentum
Doctrinæ Patris fortia fulcra Tui.

Quâ graderis, documenta gravis fructumque laboris
Adspicis & curæ publica signa piæ.

Fas ergò, ut Genitor post fata in prole nitescat,
Audiat eximie prolis & ipse Parens.

Velox discurrens varias Reyhere per artes
Et Divæ Themidos præmia summa petis.

Igneæ vis animi nescit succumbere moli
Et salebras rapido transilit ipsa gradu.

Incumbis Sophiæ studiis, ingressus arenam,
Quæ struxit Pallas, pulcra tropæa rapis.

Evomet, egregios si continuaveris ausus,
In Te purpureum Patris imago jubar.

Ita

*Nobilissimo & ad solidam eruditionem enixè ac feliciter
contendenti DN. Reyhero specimen hoc Acade-
micum, quod proprio elaboravit Marte, ani-
mitus gratul.*

P R Æ S E S.

NB. Cap. 2. §. 6. lin. 13. post id adde: quod lege natu-
re vel positivæ interdictum esse statuit aut omittit id

re(o) 20

90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA







Q. D. B. V. 34
DISPUTATIO MORALIS
DE
CONSCIENTIA
PRACTICA
ET
EJUS OBLIGATIONE,
Quam
IN ACADEMIA JENENSI
Consensu Amplissima Facultatis Philosophicae
P R Æ S I D E
M. JOH. PAULO HEBENSTREITO
publicæ ventilationi exponet
ERNESTUS REYHERUS, Gothanus
AUTOR
Ad diem Novembr. M. D. C. LXXXIII.
J E N Æ.
Literis MÜLLERIANIS.